



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118510**

§. 12. Caspari de Avalos Cardinalis mors.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

Sæc. XVI.

A.C. 545.

nono Cardinalium Collegio adscribere-  
tur. Administrabat insuper in Neapo-  
lis Regno Nuscanam & Anglonensem  
Ecclesiæ: dum vero Paulus III. Orato-  
res suos Genuam ad Carolum V. Impe-  
ratorem decreverat, ipse etiam Parisius  
unacum Marcello Cervino sanctæ Cru-  
cis Cardinale hac legatione fungebatur,  
& tandem die Sabbati nona Maji an-  
no ætatis suæ septuagesimo secundo re-  
bus humanis valedixit, sepultus in Ec-  
clesia ad S. Mariam Angelorum, ubi  
Flaminius Parisius Bituntinus Episco-  
pus ejus nepos marmoreum tumulum e-  
rigi curavit, appositaque inscriptione se-  
pulrali defuncti virtutes & amplissimas  
animi dotes recensuit. Scripsit hic  
Cardinalis quatuor Conciliorum volu-  
mina, nec non quasdam quæstiones in se-  
cundum Decretalium librum præter  
Commentaria in quatuor Juris civilis li-  
bros.

## §. XII.

*Caspari de Avalos Cardinalis  
mors.*

Alter, qui hoc anno e vivis excesserat, *Ciac. p. 688.*  
erat Casparus de Avalos Murciæ in *Aubery l.c.*

Hispania ex Petro de Avalos, & Anna  
de Agueros parentibus natus. Hic  
Philosophiæ ac Theologiæ curriculo in  
Parisiensi Universitate percurso in pa-

*Hist. Eccles. Tom. XXXVIII. Aa* triam

Sæcul. XVI. triam suam reversus Theologiam publi-  
A.C. 1545. ce tradidit, eaque exercitatione insignis  
 primo Murciensis Ecclesiæ, postea Episcopus Gerundensis, & Archiepiscopus Granatensis, ac demum Compostellanus est renuntiatus, & paulo post die decima nona Decembris anno salutis nostra millesimo quingentesimo quadragesimo quarto, quantumvis absens, ad Caroli V. preces a Paulo III. Cardinalibus fuit adscriptus, verum sequenti anno die secunda Novembris in Hispania supremum diem clausit, & terræ mandatus fuit Compostellæ in sacris S. Jacobi ædibus. Hic Cardinalis Granatæ, cui Ecclesiæ duodecim annis præfuit, Universitatem erexit, nec non S. Catharinæ Collegium, ac Monialium S. Francisci Monasterium annuis redditibus dedit, atque ad religiosam vitam in eis ducendam præcepta conscripsit.

## §. XIII.

*Joannes Tavera de Pardo Cardinalis mortuus.*

*Ciac. p. 520. Aubery l. c.* **T**ertius erat Joannes Tavera de Pardo die decima sexta Maji anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo secundo Salmanticæ in Hispania natus, ac Patrem habuit Aros de Pardo, Matrem vero Guimaram de Tavera: Is in